
Joh. H. Bang

Theses de Re-
spiratione.
Basileæ 1597.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

10,-283.
(LN bis 162)
DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

THESES
DE
RESPIRATIONE,

QVAS,

Sub Præſidio

CLARISSIMI ET EXCELLENTISSIMI VIRI DOMINI IOHANNIS GEORGII LEONIS Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris ac Phyſices in Illuſtri Academia Baſileenſi Profeſſoris Ordinarij,

Publicè excutiendas proponit.

IOHANNES H. BANGIVS
MEDELFARD:

Ad diem 19. Decembris hora & loco conſuetis.

BASILEÆ,
Typis CONRADI WALDKIRCHII.
cIↃ IↃ XCVII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

THESES DE RESPI-
RATIONE.

I.

Hippocrates lib. de animalium alimento, reſpiratio-nem alimenti principium appoſitè aſſerit, in mētem Galeni qui eam ideo fieri cōuincit, ut reficiatur ſpiritus alimalis & conſeruetur calor naturalis.

II.

Summam eius neceßitatem inculcare eo apparet, magisq́ue requirere vitam noſtram ut aeris reciprocatione fruatur, quàm cibi potusq́ue alimonia.

III.

Nam ſpiritus uſura ſubtracta vitam agere ne exiguo quidem ſpacio quiſquã poteſt. Spirationem igitur à vita & vitam à ſpiratione ſeparari non poſſe in confeſſo eſt, inquit Galenus lib. 6. de loc. affect. cap. 5. adeo ut viventem non ſpirare, & ſpirantem non viuere ſit impoßibile.

IV.

Neceßitatem huius magnam cum omnes facile fateantur, de eius natura aliquid proponere decreuimus initio à definitione facto.

V.

Reſpiratio igitur eſt motus Thoracis & Pulmonum mixtus ex naturali & voluntario, pro aeris attractione & fuliginum expulſione, ſine quibus Symmetria innati caloris conſervari non poßit, inſtitutus.

VI.

Huius motus organa duplicia ſunt, alia ipſi motui, ut Tho-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

rax, Pulmo, Diaphragma inſerviunt, alia ad vesturā aeris, ut os, nares, aſpera arteria, & arteria venalis, cum inde productis ramis prædeſtinata.

VII.

Qui verò in arterijs fit motus & per poros ocultos trāſpiratio etſi ab hoc alijs modis differens eſt, uſu tamen & communibus affectionibus cum eo magnam habet affinitatem.

IIX.

Communes enim illæ utriq; ſunt, inſpiratio, &c. Expiratio. illa aer in cor & arterias attrahitur, hac aer ex corde & arterijs expellitur.

IX.

Attractio fit cum cor & arteriæ per διαστολῶ *ampliantur. Expulſio autem cum per* συστολῶ *conſtringuntur.*

X.

Hæc ut in corde facilius fiat. Orificio arteriæ venalis duæ ſolum perfectæ membranæ, cum reliquorū trium cordis vaſorū unicuiq; additæ ſint tres: ut ita conſtituto corde aer inutilis per arteriam venalem, duabus eius membranis minus arctè conniventibus tranſitumq; cōcedentibus in pulmonem retrudi, atq; inde foras propelli poſſit.

XI.

Hunc cordis & arteriarum motū ἐκ διαστολῆς καὶ συστολῆς *compoſitum, pulſum latini dicunt, qui in pectoris parte ſeniſtra carpis & temporibus tangentium manibus cum primis offertur, quo argumento convincitur cor & arterias ſpirandi cauſa pulſare.*

XII.

Vtriusq; tum reſpirationis, tum tranſpirationis neceſſitas ad vitam permagna eſt, majore tamen illius quam hujus neceſſitate tenemur.

XIII.

Hæc ſiquidem obſtructis meatuum poris intercepta, morbum, illa quacunq; ratione inhibita mortem anticipat.

Cor

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

XIV.

Cor ex ſanguinis portione puriſsima & aere per inſpirationem attracto, ſpiritum vitalem caloris naturalis in quo vita conſiſtit vehiculum, procreat.

XV.

Arteriæ idem præſtant, ſed facultate ſibi à corde unde oriuntur communicata, ad eundem modum quo venæ ſanguinis efficiendi vim ab Epate tanquã ſuo principio, ſortiuntur.

XVI.

In hac ſpiritus vitalis generatione cor & arteriæ exæſtuant. Quapropter refrigerio opus habent, quò ad juſtam naturæq; conuenientem mediocritatem, immodicus ipſorum fervor, redigatur, eoq; perfruuntur, quando aeris frigidiuſculi hauſtu & appulſu recreantur.

XVII.

Duplici Itaq; de cauſa aerẽ intrò trahi atq; ad cor & arterias penetrare oportet. 1. Et ut materiam ſpiritui vitali præbeat. 2. Et ut cordis arteriarumq; fervorem temperet.

XIIX.

Aerem in ſpiritus vitalis ſubſtantiam tranſire diſſonum perfectiori naturæ haberetur, niſi homines animi diliquio ob ſpirituum diſsipationem labaſcentes, vel jam proſtratos, nullo auxilio citius reſtitui, quàm odoribus, quorum natura aeria eſt, videremus.

XIX.

Hanc eſſe Hippocratis mentem declarat lib. de alimento Aphoriſmus 31. Qui ſic habet; Quicunq; veloci appoſitione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum, Quicunq; verò adhuc velociori indigent, per olfactum optimè reficiuntur. Qui verò tardiore appoſitione opus habent ſolito alimento utantur.

XX.

Huic aſtipulatur Romanæ eloquẽtiæ Parens 2. de nat. deorum. In pulmonibus (inquit) eſt raritas quædam & molli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

tudo ſpongijs aſsimilis, ad hauriendum ſpiritum aptiſsima, ut frequēter ducatur cibus animalis, quo maximè aluntur animan tes, ubi per cibum animalem aerem intelligit.

XXI.

Neq; refectio illa alia ratione contingere queat, quàm aeris illius odorati in ſpiritum vitalem cōverſione, cuius acceſſio ſpiritus ſimul & virium jacturam reparat.

XXII.

Vtq; è ſolido cibo ſine humore ſanguis gigni nequit, ita nec ſpiritus vitalis poteſt generari niſi ad ſanguinem accedat aer.

XXIII.

Similitudinem quam calor noſter cum igne habet, ſi quis vellet excutere, ei quis neſcit inflamabilem materiam absq; aere non ſufficere? An obſcurum eſt à cucurbitis cuti affigendis, quo vacuæ trahendi vim adipiſcantur, alioquin non tractur æ, aerem ſubdita flama abſorberi & conſumi?

XXIV.

Mitigare porrò aerem inſpirando attractum, cordis arteriarumq; calorem, oculta naturæ myſteria penitius ſcrutantes inculcant, quod munus præſtare nequit, niſi aer frigore perfuſus.

XXV.

Incompertum eſſe nemini arbitror, homines diutius in calidis Balneis & Hypocauſtis, æſtuq; ſolis commorantes, paulatim elangueſcere, atq; interdum deficere & exanimari;

XXVI.

Quod aliam haud ob cauſam fieri cenſendum eſt, quam ob aeris frigidioris negatam fruitionem, qua ſimulac languentes potiuntur, ſenſim ad ſeſe redeunt, priſtinasq; vires recipiunt.

XXVII.

Vnde qui ob immodicum exercitium, ſive ob moram in calido loco, ſive ob intemperiem calidam, æſtuāt, frequētiori & largiori aeris frigidi fruitione opus habent.

Maior

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

XXIIX.

Maior enim refrigerationis neceſsitas, uberiorem à ſpiritu frigido recreationem deſiderat, quã, ſi inſpirationis magnitudo ſuppeditare nequeat, natura à multitudine & frequentia opem flagitare cogitur.

XXIX.

Nec labefactare hanc, eorum ſententia valet, qui nec totum aerem inſpiratione hauſtum, quippe plerunq; impurum in ſpiritus vitalis naturam tranſire, nec totum cordis arteriarumq; calore diſsipari, aſſeverant, quorum ſententiæ facilè ſubſcribimus.

XXX.

Sed ſuperfluũ proinde quicquid eius eſt, nec iam amplius ad vitalis ſpiritus procreationem; aut materiæ aliquid, aut refrigerij præbet, id totum una cum fumis in illa ſpiritus vitalis elaboratione ſecretis ſeu quibuſdam purgamentis expellitur.

XXXI.

Rectè igitur ut inſpirationis, ſic exſpirationis geminus ſtatui uſus poteſt. 1. Vt exſpirando ſuperfluus & inutilis aer ex corde & arterijs foras emitatur. 2. Vt cum illo aere cordis arteriarumq; fumi excernantur.

XXXII.

Veritati conſonum eſt ſicut χύλωσις *ſua habet excrementa, ita etiam dum ex ſanguine & aere fit ſpiritus vitalis, iſti generationi ſua purgamenta non deeſſe, quæ vulgò cordis fumos & fuliginem vocant, ea verè dum refunditur, aer ſimul tum per vias manifeſtas, tum per occultas expelli, à ratione haud alienum eſt.*

XXXIII.

Cum enim aeris quem ducimus, munus ſit, cor & arterias ab æſtuatione vindicare & refocillare, quicquid eius viſcerũ attractu tepefactum, refrigeradi officio non amplius idoneũ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

eſt, id tanquam ſupervacaneum & inutile excludi meritò cenſetur.

XXXIV.

Id verò mutuo Officio quod dando & recipiendo cor & arteriæ inter ſeſe exercent fieri ſtatuimus, idq; ad iuſticiam exerceri putamus non ad pondus, ſiquidem plus cor trāſmittit arterijs quàm ab ijs recipere poteſt, quia plus tranſmittere poteſt.

XXXV.

Cùm Pulmo ſpiritum forinſecus concipit, ac cor præparatum, ex pulmone tanquam in id facto promptuario ad ſeſe rapit, reſpirationis termini ſtatuuntur duo. unus in pulmone, alter in corde.

XXXVI.

Pulmonis uſus folli perſimilis eſt, hic enim diſtentus aere impletur, compreſſus vacuatur: ita pulmo ampliatus aerē concipit, conſtrictus omittit. Quam pulmonis ampliationem & cōſtrictionem ſublatio pectoris & depreſſio tàm tēpore quàm numero repræſentat.

XXXVII.

Cordis motus ab hoc longè diverſus eſt, quoniam multò celerius frequentiusq; quàm pectus & pulmo cietur: ſiquidem ut Galenus ait 8. de placitis Hippocratis & Platonis, In vnius reſpirationis mora, cor unà cum arterijs diſtendi & contrahi ſepties, octies, & ſæpius aliquando conſpicitur.

XXXIIX.

De Naturali mora verum id ſi eſt, quanto verius erit de illa quam ipſimet nobis, ita volentes impetramus, in qua pulſus frequentia definiri nequit. Atq; hæc de reſpirationis cauſis ſubiectis & natura, dicta ſufficiant.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 162 [10,-283 4°]